



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XXII. Pro illorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

bitorum dispositione, prestare; ideo illam permittit Papa cum hac moderatione, ut ad prestationem librarum 40. non dignitas prioratus obligata sit, sed persona prioris, ne alioquin in proventibus prioratus sectio aliqua contingat, & ita Priore isto defuncto Successor ejus, ad quadraginta libras non tenebitur.

## SUMMARIUM.

- i. In dubio, num aliquid legitime factum fuerit, propter honestatem ac prudentiam persona agentis quandoque præsumptio fieri potest, pro honestate & justitia actus.
- ii. In Judicem delegatum compromitti potest, tanquam in amicabilem compositionem, ut judicariam potestatem non deponat.
- iii. Potest Judex delegatus, si duo coram eo litigent, super beneficio, pro bono pacis uni adjudicare beneficium, ita tamen, ut alteri danda pensione gravetur.

**N**otandum primò. In dubio, num aliquid justè, ac legitime actum fuerit, propter honestatem ac prudentiam persona agentis, quandoque præsumptio fieri potest de justitia actus. Ita *Gl. hic, argum. c. ult. causa. 9. q. 2.* exempla dat *Abb. hic. n. 3.* quòd citatio, tametsi injustitiam præferat, si tamen aliqua ratione justificari possit, justa interdum præsumi possit, si judex providus, ac circumspexus in citando esse soleat. Item si Clericus afferat formatas, ex quibus constet, eum esse ordinatum Sacerdotem, præsumptio fieri potest de inferioribus Ordinibus legitime acceptis, si credibile sit, quòd dans formatas pro consuetudine sua providentia Clericum non ordinasset sacerdotem, nisi prius facta inquisitione de prioribus Ordinibus, secundum *Innocent. in c. 1. n. 3. de Clericis peregrinis.* Denique quòd solennitas extrinseca intervenerit, v. g. capituli consensus, præsumptio inter-

dum fieri potest, ex probitate, aut peritiam persona exercentis actum.

Notandum secundò. In judicem delegatum compromitti potest tanquam in amicabilem compositionem, & ita quidem, ut judicariam potestatem non deponat, sed utraq; uti possit: quare quòd secundum juris terminos decreverit, id ex judicaria potestate orietur; quòd verò præter & contra juris terminos, pro bono pacis & concordia ordinaverit, id tanquam arbitrator ex vi compromissi voluisse putandus est. Ita *Abb. hic. n. 5.* & videri potest textus & *Gl. in authentica, ut differentes judices, &c.*

Notandum tertio. Si duo litigent super beneficio coram judice delegato, potest is ex partium consensu, aut compromisso pro bono pacis, & concordia, atque ut à lite recedatur, partem, cui beneficium adjudicatur, pensione gravare, solvendà alteri parti. Verum tale onus pensionis personale esse debet, & non impositum beneficio ipsi. Ut hic dicitur & in *c. de catero §. de transactionibus*, ubi id docui *nota n. 2.* Ratio dari debet, quia si beneficio tale onus imponatur, id cedit in præjudicium collatoris, videlicet Episcopi, quare cum ejus consensu, aut si ipsemet Episcopus, seu Ordinarius pensionis designationem, pro bono pacis decernat, etiam beneficium imponi poterit, ita ut obligatio ad Successorem transeat, sed non ultra vitam pensionarij, id est ejus, cui pensio datur, prout docui *lib. 4. tract. 2. c. 18. n. 3.*

CAPITULUM XXII.  
Pro illorum.

## PARAPHRASIS.

Innocent. III. mandaverat Burdegalensi Archiepiscopo, ut Magistro P. in aliqua sua Ecclesia, ubi expedire videretur, competens beneficium conferri curaret, contradictores Ecclesiasticà censurà compescens; is Decano, & Capitulo Santonenfi

nenſi Apoſtolicâ Authoritate mandavit, ut P. in Canonicum fratrem reciperent. Cùm verò Canonici Santonenſes repugnarent, privilegium de numero quadragenario Canoniorum opponentes; Archiepiſcopus autem intelligeret, ipſos hoc privilegij ( quippe à quo antea recellerant ) prætextu, mandatum Pontificis eludere velle, Magiſtrum P. de præbenda, & Canoniam Santonenſis Eccleſiæ inveſtivit, contradictores vinculo excommunicationis ſubjiciens. Hoc intellecto Papa reſpondet, quæ ab Archiepiſcopo circa M. P. rectè facta ſunt, velle ſe, ut firmitatem obtineant. Quare mandat hic quibuſdam, ut ſi ipſis conſtitit, Canonicos Santonenſes privilegium, ſeu indulgentiam conceſſam, de certo Canoniorum numero non ſervâſſe, ſed ultra eum, propriâ authoritate, aliquem antehac recepſiſſe, laram ab Archiepiſcopo in ipſos excommunicationem, tamdiu, ſublata appellacione, denunciam ſervandam eſſe, donec dictum Magiſtrum in Canonicum recipiant, eique ea, quæ ad Canonicos pertinent cum ſtalto in Choro, & loco in Capitulo aſſignent, quandoquidem legem Pontifici obijcere non debent, quam ipſimet ſervare negligunt.

## SUMMARIUM.

1. Privilegium tollitur abſolutè, ſi actus, per quem contravenitur privilegio, totaliter illi contrarius eſt, viâ tacite renunciationis; non autem ſi tantum ſecundum partem contrarius ſit, in caſu v. g. privilegij tractum ſucceſſivum habentis.
2. Poſt tamen Pontifex, ſi capitulares à privilegio ſuo ſemel recellerunt, plenitudinem ſuæ poteſtatis illi derogare, vel in totum revocare.

Gloſſa hic V. authoritate. Abb. n. 4. L. mola n. 5. argum. hujus capituli notant, quòd privilegium conceſſum perſonæ,

aut communitati, unicâ contraventione, ſeu actu contrario tollitur. Sed hæc doctrina ex textu noſtro non colligitur, uti poſtea apparebit, neque in ſe vera eſt, univerſim loquendo, ſed diſtinguendum cum *Franc. Suarez lib. 8. de leg. 6. 35. n. 12.* Si enim actus ſit totaliter contrarius, tunc abſolutè tollitur privilegium, viâ tacite renunciationis: id verò accidit, ſi uſus privilegij tractum ſucceſſivum non habeat, ſed veluti in indiviſibili conſiſtat, juxta caſum *capituli cùm acceſſiſſent 8. de conſtitutionibus*; ubi ſtatutum capituli de dignitate primicerij extinguenta, à Papa confirmatum, unica contraventione, ſeu primicerij creatione, extingui cenſetur, ita ut ad priſtinam Eccleſiæ conſuetudinem redeatur; ſin autem actus non ſit totaliter contrarius privilegio ( eadem ratio eſt de ſtatuto ) ſed ſecundum partem, quia videlicet uſus privilegij tractum ſucceſſivum habet, tunc privilegium abſolutè non tollitur, ſed ſecundum partem tantum, videlicet actum illum. Exemplum habemus apud *Innocent. in c. accedentibus in principio de privilegijs*, ubi ait *argum. ejus textus* Si Monasterium ſemel decimas ſolvat, quòd non idèd cenſetur renunciare privilegio immunitatis, ſed eam ſolutionem facere ob aliam cauſam v. g. ſcandali, aut litis vitandæ, conſequenter per unicam eam ſolutionem privilegium non tollitur; quamvis, ſi proteſtatio nulla fiat, nec aliunde appareat, ſolutionem non fieri tanquam ex debito, Parochus, cui ſolvitur, per eam incipiat eſſe in poſſeſſione decimandi, ita ut præſcriptio inchoetur, & tempore legitimo videlicet 40. annis, contra Monasterium abſolvat, uti habetur in eodem *c. accedentibus*. Ratio traditæ doctrinæ reddi debet, quia renunciatio privilegiorum, jurium, commodorum, & ſtatutorum, ſtriçtæ interpretationis eſſe debet, & in dubio non præſumenda, prout ex communi docet *Rota Roman. deciſione 2. de renunciatione. alia deciſione 287. Maſcar. de probationibus, con. 1263. Suarez cit. c. 35, n. 12.* Quare

M

ait

ait *Abb. in c. ad audientiam. n. 3. de ijs que vi*: quod modica coniectura sufficit, ad tollendam præsumptionem renunciationis.

2. Notandum. Ex *o. isto* colligi potest, si Capitulares à privilegio suo, vel speciali statuto, per Pontificem confirmato, v. g. de certo Canonicorum numero, una vice recesserunt, Pontifex iustam causam contraveniendi habere censetur: ubi adverte, tametsi Papa, qui tale privilegium, vel statuti confirmationem, per quam veluti Jus aliquod acquisitum censetur, personæ, vel communitati concessit, per plenitudinem potestatis suæ possit illi derogare, vel in totum revocare, tamen non facili de causa soleat, quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum, *Reg. 16. in 6.* præsertim, si per tale privilegium, vel statutum, status Ecclesiæ constitutus censetur; veruntamen si ipsimet, quibus concessio facta, recedant, & non omnino servent, tunc etiam Princeps, seu Papa iustam contraveniendi causam habet, partim propter rationem, quæ in textu indicatur, æquum non esse, ut princeps statutum servare teneatur, à quo inferiores, seu subditi recedunt; partim, quia eâ ipsa recessione significant, non adesse necessitatem servandi statuti.

## CAPITULUM XXIII.

## Tuis

## PARAPHRASIS.

Clerici constituti in minoribus tametsi beneficium non obtineant, habentes tamen ex patrimonialibus bonis congruam sustentationem vitæ, ad Sacros Ordines ab Episcopo, si aliud Canonicum impedimentum non obstat, assumi possunt.

Notandum. Clericus in sacris potest ordinari super titulo patrimonij, si id sufficiens sit ad personæ sustentationem. Vide, quæ docui *in c. 4. hoc tit.*

\* \*

## Accedens.

## PARAPHRASIS.

Beneficium Ecclesiasticum Clerico absenti conferri potest, per intermediam personam.

## SUMMARIUM.

1. Beneficium absenti duplici modo conferri potest, vel ut nullo modo interveniat persona media: quo in casu valida quidem est collatio, ex parte conferentis; suspensa tamen manet, dum acceptetur ab eo, cui collatio taliter facta est.
2. Vel conferri potest absenti per intermediam personam, loco absentis acceptantem; quo in casu si persona intermedia acceptans consanguinea v. g. sit, vel utrius negotiorum gestor, valet collatio ex parte conferentis, etiamsi mandatum nullum intervenierit; si alia tamen persona acceptans, extranea v. g. sit, speciale mandatum de beneficio acceptandorequiritur, ut valida sit pro absente collatio.
3. Possunt etiam dua esse verborum forma, si per procuratorem alicui conferatur beneficium; magis tamen in hoc Capitulo commendatur forma, qua in principalem dirigitur collatio, confero v. g. Titio, cuius tu procuratorem magis, beneficium.
4. Potest tamen procurator, qui nomine Clerici in beneficio investitur, esse Laicus.

Pro intellectu adverte, quod beneficium duobus modis conferri possit absenti. Primum ut nulla persona interveniat: hoc casu collatio valida est ex parte collatoris, ita, ut eam revocare non possit; eatenus autem in suspensio posita, quia nondum jus acquisitum est proviso, donec is sciens acceptarit. *c. si tibi absenti 17. hoc tit. in 6.* Et procedit hæc doctrina in omni electione, aut